

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Rector, Academiae Lipsiensis, Ad Memoriam Reformationis
Corrupti Ecclesiae Romanae Status, Pia, Grataque Mente, In
Templo Academico Publice Celebrandam, ...**

Brandenburger, Johann Christoph

Lipsiae, [1712?]

VD18 13538640

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha55-1-196143](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha55-1-196143)



77

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS,
AD
MEMORIAM
REFORMATIONIS
CORRUPTI ECCLESIAE ROMANÆ
STATUS,
PIA, GRATAQUE MENTE,
IN
TEMPLO ACADEMICO
PUBLICÉ CELEBRANDAM,
UTRIUSQUE REIP. PROCERES
ET
ACADEMIÆ CIVES,
QUA PAR EST, HUMANITATE
INVITAT.

77

RECTOR
ACADEMIE LIPSIENTIS
MEMORIAM
REFORMATIONIS
CORRUPTI ECCLESIE ROMANE
STATUS
TEMPO ACADEMICO
UTRIUSQUE REIP. PROCERES

ACADEMIE CIVIS
EXTRA REIP. HUMANITATE
INITIAL



Alutaris Festi Reformationis a B. Luthero
divinis auspiciis, A. MDXVII. pridie Cal.
Nov. coeptæ memoria, dignis modis vix
celebrari posse videtur; nisi Ecclesiæ in Eu-
ropa statum, ante illam, maxime corru-
ptum, quis cognitum atque perspectum
habeat. Quomodo enim bona & beneficia, ex ista in Ec-
clesiam atque rempublicam Christianam, Lutheri mini-
sterio derivata, quis recte æstimare queat; si quæ ante ma-
la & corruptelæ illam, sub Papæ R. dominatu presserint,
nesciatur? Nam & hac in parte tritum illud valet; con-
traria juxta se posita magis elucescunt, atque dignosci pos-
sunt. Lucem sane rem omnibus gratam, nisi tenebrarum
molestias noveris aut senseris, quantum id DEi donum sit,
vix recte noveris, ut datorem ejus quotidie prædices. Re-
gnum autem tenebrarum sub Papatu invaluisse, atque Ec-
clesiam, remque publicam velut obtenebrasse, quis, nisi in
historia temporum vel hospes, vel occæcatus sit, negarit?
verbum Dei, quod lumen pedibus nostris est, per humanas
traditiones & superstitiones, Papatu regnante, oppressum
fuerat. CHRISTUS ipse, vera lux mundi, lucisque ani-
marum autor ac fons, a paucis in tenebris sedentibus cerne-
batur; cum nec pretiosissimum ejus meritum, nec benefi-
cia spiritualia, atque dona cœlestia populo recte explica-
rentur & commendarentur. Magis enim S. Mariæ Deipa-
ræ, Sanctorumq; merita aut extollebantur, aut illi sufficien-
tissimo

tissimo & perfectissimo Christi merito iungebantur, cœu necessaria homini ad salutem æternam obtinendam. DEUS, qui in Spiritu & veritate solus invocari, colique vult, honore hoc sibi proprio, per Divorum & Sanctorum cultum defraudabatur: Numinis autem sanctissimi cultus, externis fere operibus humanis, iisque superstitionis absolvebatur. Quorum præcipuum decantatissima MISSÆ pro vivis & mortuis, celebratio fuit. Miser igitur populis fabulis de Sanctis, eorumque confictis meritis & miraculis pascebatur, Papa interim cum suo clero, conscientiarum dominatum sibi arrogaverat, atque sub Vicarii Christi nomine, summis Principibus a DEO constitutis insultaverat, eosque fulmine excommunicationis ita terruerat; ut iure suo antiquo in Episcopum R. uti, eumque in ordinem redigere extimescerent. *Servum* enim hunc *servorum*, (quo titulo intolerabilem ambitionem velare vult) pro *Domino dominantium*, volentes, nolentes agnoscere tenebantur. De his multisque aliis Ecclesiæ oneribus & corruptelis, cum multi pii atque prudentes confessores, ante Lutherum valdopere conquesti sint; tum centum annis circiter, antequam Lutherus calamum adversus hæc corruptelas stringeret, *Nicolaus de Clemanges*, Archi-Diconus Bajocensis, natus in pago Clemangesi in Campania, pio & iusto zelo accensus, easdem quoque, ut alii cordati viri & confessores multoties fecerant, graphice perstrinxit. Ufus ille erat Parisiis, magno & celeberrimo illius temporis Doctore & Cancellario, *Johanne Gersono*. Ex hujus disciplina egressus ipse aliquandiu Romæ vixit, atque abominations Curie Romanæ coram spectavit & animadvertit; Ecclesiam R. cum capite suo & membris degenerasse, atque a Christi & Apostolorum doctrina ac moribus defecisse. Quapropter de *Corrupto Ecclesiæ R. statu*, librum composuit, quo Babylonice meretricis a Johanne Apostolo, in Apocalypsi jam revelatæ fœditatem, distin-

stin-

ctis capitibus detexit, ejusque causas aperte notavit. Recusus iste tractatus fuit Helmstadii A. MDCXXVII, cura D. *Johannis a Fuchte*. Hunc ante *Eubulus Cordatus* Montefio, amico suo, Roma e bibliotheca Vaticana (quod mireris) miserat, qui nunc typis exscriptus in Germania legitur. Ei jam laudati *Nicolai*, deploratio calamitatis ecclesiastica, per schisma nefandum illata, cum annexa exhortatione Pontificum ad ejus extirpationem, egregio carmine comprehensa, praemissa fuit. Hujus enim MSctum suo *Johanni Martini Lydio* communicaverat *Antonius Tbysius*, Theologus: cujus exordium ita habet:

CHRISTE, graves sponse semper miserate labores,
Aversos refer huc oculos, & respice tandem
Desertam, laceram, funesta clade jacentem;
Jam satis arumna, satis est perpeffa malorum,
Tempus & afflictis ejus miserescere rebus;
Tartaream superis aliquando pelleret regnis
Alecton dignare pater, post facta nefanda:
Ocy ut Stygias se condant rursus in umbras,
Quae dudum elato lucem terrasque pererrat
Vertice, & aethereas corrumpens inficit auras.

Et paucis interjectis versibus pergit, atque remedium malorum idoneum sollicitat:

Jamque diu id frustra conata prioribus annis,
Quaeis gregis incubuit pastorum cura saluti.
Hac tandem infausta nostri caligine tecti
Consilium fallax, versutam & repperit artem:
Dum segnes, vacuasque hominum indulgere sopori
Nocte vidit mentes, somni expers exit in agrum
Semine triticeo sparsum, te CHRISTE satore,
Illic vim multam lolii, zizania multa,
Semina grata sibi superinjicit: haec simul orta
Creverunt, segetem perimunt, aut frugis inanem

*Efficiunt, cassas & reddunt prorsus aristas.
Utique tuos posset turbare licentius agnos,
Certamen fennale dedit &c.*

Tandem hac apostropho carmen claudit :

Vos ergo in Petri cymba quicumque tenetis
Remigis officium, procul otia ludrica, somnum
Pellite: *Si paulum remis insistitis, actum est:*

Sed quid opus est? piorum in Ecclesia R. doctorum querelas de misero ejus statu, plura hic cumulare, eorumque vöta & desideria, pro emendanda aut reformanda Ecclesia, passim obvia recitare ipsorum: *S. Romani Imperii Principum ac Procerum Germaniae CENTUM GRAVAMINA*, quae adversus *Sedem Romanam ac totum ecclesiasticum ordinem*, quae *Oratori Pontificiae Sanctitatis*, in comitiis Norimbergae A. MDXXII. inchoatis, finitis vero XXIII. proposuerunt, inspiciamus. Quorum inter prima sunt: *De dispensationibus ere redemptis; de oneribus Papalium indulgentiarum; de praeicatoribus indulgentiarum stationariis; de onere Banni; de feritarum dierum multiplicatione; de levibus ex causis denegatione Sacramentorum, & de ceteris*, quae cum magna Principum & imperantium injuria, sub titulo potestatis ecclesiasticae, sibi Papa arrogaverat, & usurpaverat imperii jura, ibidem relata sunt.

Hadrianus equidem inter pessimos, bonus Papa, ipse necessitatem Reformationis falsus erat, eamque susceptum iri promiserat: Sicut ipse *Sforzia Pallavicinus*, Cardinalis, de eo refert, eundem jam tum antequam Romam venisset, certam reformandae sedis Romanae formam concepisse, eamque unicam imminentis schismatis remedium futurum existimasse, atque triduo post suum in urbem adventum, in senatu proposuisse, ac Patres magnopere cohortatum esse. Sed frustra fuit. Causam recusati hujus laudabilis propositi, nominatus jam *Pallavicinus* prodit (*1. 2. Histor. Concil. Triacnt. c. 7. f. 59.*) iis omnibus (scribit) postulatis, si Pontifex

in-

indulisset, ejus auctoritas deserta jacuisset, & dum recuperandis & reconciliandis hereticis studeret, obsequentium sibi Germanorum Antistitem jacturam fecisset. Ubi notabile est, consilium Francisci Soderini Cardinalis Hadriano suggestum, quo conatum Reformationis represit. In Hadriano ille probitatem, ingenuitatem, animumque reformandæ ecclesiæ a profligendis hæresibus in tantum vehementer probabat: Sed negabat, solum voluntatis propensionem laude dignam, quod sola ad bene agendum, non sufficeret; nisi ad eam accederent accurata mediorum convenientium electio, & eorundem prudens & cauta exsecutio. Sed cum videret illi temporis angustiis oppresso, aliquid necessario constituendum; his eum verbis affatus est: Minime esse sperandum, ut per emendationem morum curiæ Romanæ deleantur & exterminentur Lutherani; eam potius esse rationem augendæ ipsorum & existimationis & contumaciæ. Imperitam enim plebem, quæ ex eventibus solet judicare, comperto semel, ex emendatione cæpta Pontificiam Ecclesiæ gubernationem, parte aliqua jure reprehensam, facile sibi persuasuram, non minus justas esse causas aliarum proponendarum, quæ similem requirunt emendationem, ipsosque hæreseos autores in uno aliquo victoriæ compotes, nunquam congregiendi & coarguendi finem facturos. Versuti hujus Cardinalis & Belav ejusque argumenta, ex intimiore ratione Status Papalis desumpta, ad retrahendum Papam a bono proposito reformandi curiam R. Petrus Suavis Polanus seu Paulus Sarpinus, vir Status illius curiæ peritissimus atque cordatus (in Hist. Concil. Tridentini l. 1. p. 25. seqq.) prodit. Quæ hic recensere & examinare, nimis prolixum foret. Nituntur autem ea præcipuis Status Papæ Monarchici & tyrannici, magno molimine jam stabiliti axiomatibus, quem, admissa Reformatione convulsam iri præviderat.

At DEUS omnipotens & misericors, obnitentibus licet omnibus curiæ Romanæ statutoribus, ac assentatoribus, opus suum

suum B. Lutheri ministerio, ejusque parastatarum fidelium & animosorum cura & precibus perfecit, ac quid intersit inter regnum Papæ, quod est tenebrarum, & CHRISTI, quod est lucis ac veritatis, multis libris in lucem tum editis demonstratum fuit. Ut ipsos cordatiores Pontificios fateri necessum habuerint, in hoc opere DIGITUM DEI deprehendi. O si omnes hunc agnovissent, grataque mente Nomen Domini, ut par est, prædicassent; quod hoc immortalis beneficio populum suum beare dignatus esset. Multos enim cheu! post redonaram Evangelii lucem, tenebras magis, quam lucem adamare occœpisse, in apico est; ut valde verendum sit, ne in hoc tempore, imo frigore curæ Evangelii, plures illam abjiciant, ac in regno tenebrarum cum multitudine vivere, quam cum paucioribus Christi fidelibus associis, in regno crucis adversa pati aut contemni malint. Præsertim cum impietas ita invaluerit, ut Religio multis pro ludo, pietas pro simpliciorum animorum persuasione habeatur; indeq; ista algeat. De VOBIS autem, O CIVES NOSTRI, meliora speramus. Ideo omisissis hic pluribus querelis, Deo confisi, hodie in DOMINO lætabimur, grata memoria recolentes illud ingens DEI, O. M. beneficium & donum, quod Saxonix nostræ Evangelicæ, ante duo propemodum Secula primum clementissime indulgit, prædicaturi, devoteque simul divinum Numen in Christi nomine precaturi, ut id nobis proprium atq; perpetuum esse sinat. Huic pie meditationi ampliorem materiam Vir juvenis Eximius, M. HIERONYMUS GIESMANNUS, *Grosbardenfis Musici, Theologiæ Cultor laudabilis*, suggeret, quando luculenta oratione, B. LUTHERUM, *felicissimum Vineæ Domini Restauratorem* sistet, ostensurus simul magnum DEI beneficium esse, quo ille, divino auspicio, doctrinam Evangelicam a fecibus Pontificiorum repurgare aggressus est. Quare, ut illum crastina, DEO dante, luce, hora XI. peroraturum, VOS, UTRIVSQUE REIPUBL. PROCERES HONORATISSIMI, cum per dilectis Civibus nostris, benevole auscultare dignemini, humanissime rogamus. P.P.

Pridie Cal. Nov. A. MDCCXII.

L I P S I Æ,
Literis BRANDENBURGERIANIS.

W 48

